

hum dirigendum, ideo voluit Deus, Exod. XXVII. ut lucerna semper arderet in tabernaculo testimonii, quam quidem sacerdotes componerent, populos vero oleo nutriet: *Ut figurate doceamur*, inquit venerab. Beda in eum locum: « Quod fideles et religiosi auditores prompta ad obediendum fidei corda afferant, doctores vero eis ignem verbi cœlestis quo illuminentur ad agnoscendum, et inflammentur ad diligendum Deum, prædicando ministrent. » Ad hanc lucernam examinanda sunt opera nostra priusquam ea patremus, sicut cum quid in tenebris dignoscere volumus, ad lucernam id deferimus et examinamus. Hinc etiam opus accuratum et elucubraturam lucernam olere dicimus: cuiusmodi forent opera nostra, si lucernam verbi Dei illis præferremus.

Secundo, sagittæ, Ps. XLIV. *Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis.* Quibus verbis explicat David modum, quo Christus amplificaturus erat imperium suum, nimirum jaculis sagittarum verbi Dei acutissimarum, quibus penetraturus erat corda inimicorum suorum; hoc pacto salubriter prosternendorum et ditioni suæ subjiciendorum. Vocantur autem verba Dei sagittæ quia semel in cor ictæ, tenaciter infiguntur et difficulter extrahuntur; uti experiuntur peccatores quorum cor aliquando huiusmodi sagittæ tactum est, quod videlicet ab increpatione verbi Dei percepta perpetuo infestantur et requiem non habeant. Expertus fuit id David ipsemet, quando increpatus a Nathan fuit in persona Dei dicentis: *Ego unxi te in regem super Israel, et erui de manu Saul, et dedi tibi domum domini tui et uxores domini in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Juda. Quare ergo contempsisti verbum Domini ut faceres malum in conspectu meo? Uram Ethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi. Quamobrem non recedes gladius de domo tua in sempernum, etc.* Hæc fuerunt illæ sagittæ, de quarum mordaci aculeo queritur, Psal. XXXVII. dicens: *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.*

IV. A Christo Domino primo, semen vocatur, Luc. VIII. plures ob causas ut vidimus alias. Potissimum vero quia uti in semine virtualiter continetur radix et fructus, sic in verbo Dei fides et opera. Ex auditu prodit fides, ex fide opera. Unde bene dixit Christus: *Regnum Dei intra vos est*, Luc. XVII. quia verbum Dei semen est et mater regni cœlorum. Item quia sicut absque jacto semine non gignitur frumentum, sic neque bona opera cœli meritoria, nisi verbo Dei prius audito. Rursum quia uti semen terram requirit dispositam, non sentibus asperam, non

lapidibus duram, etc. sic verbum Dei auditorem quoque idoneum.

Idem grano sinapis, Matth. XIII. Primæ, quia licet id acrimoniam habeat et linguam mordeat, magnæ tamen salubritatis est, ut alibi dictum: deinde, quia licet parvum et contemptibile sit, maximam tamen vim et efficaciam habet: denique, sicut granum sinapis contritum et masticatum majorem vim exerit; ita verbum Dei sedula consideratione ruminatum.

V. Apostolus ad Hebr. c. IV. gladio comparat verbum Dei: *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, etc.* et ad Eph. VI. *Assumite gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* Ratio, quia: *Sicut gladius*, ait Chrysost. ho. VIII. c. IV. *Matth. carnes præcidit; sic et sermo Dei concupiscentias carnales.* Unde qui hoc verbi Dei gladio illicita sibi præcidunt et propriam carnem mactant, designati sunt per sexaginta fortes illos lectulum Salomonis ambientes et tenentes gladium super femur suum, Cant. III. ut in eum locum notat Philo episcopus Carpathius: « Quicumque, inquiens, verbi Deum corde et opere complent, fortissimi pugnatōres sunt: hi manibus suis, hoc est, rectis operibus gladium suum, conscientie propriæ, non alienum tenent. Non enim alienis precibus solummodo præfidunt, sed ipsi quoque diligenti observatione mandatorum sese ab impietatis operibus adducunt, carnemque suam cum vitii omnibus et concupiscentiis mactant, ob idque ensem super femur suum tenere dicuntur: nam femur, carnis illecebras et voluptates designat. » Sicut ille. Quoties igitur tentatio se prodit, toties verbi Dei gladius, id est, sententia aliqua S. Scripturæ contra eam producat, juxta exemplum Christi profligantis dæmonem in deserto se tentantem.

VI. S. Jacobus in sua canonica, c. I. comparat speculo; quia nimirum primo in eo in tuetur seipsum homo, et videt qualis sit. Hinc sicut camelus et elephas prius quam bibant, turbant aquam, ne in limpida videlicet suam videant deformitatem; sic malè sibi consciu fugiunt conciones. Cæterum, qui in concione seipsum vidit, et inde egressus mox obliviscitur suæ deformitatis, nec curat eam emendare: *Similis est viro consideranti se in speculo: consideravit enim se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit*, inquit Jacobus. Secundo, sicut speculum res oppositas, quas videre desideramus, nobis representat, ita verbum divinum ostendit nobis Dei voluntatem. Tertio, specula plana, rem ut in se est, referunt: concava vero minorem quam revera sit; ita verbum Dei plane et sincere prædicatum et auditum, Dei voluntatem perfecte insinuat: non ita, si verborum phaleris et humanæ eloquentiæ

fucō exornatum proponatur. Quarto, specula concava sola opposita ignem concipiunt et accendunt; ita verbum Dei, humili in corde inflammant voluntatem.

VII. Sap. XVI. medicinæ comparatur, quod omnia sanent, modo homo ipse non obstet. Nam: « Sicut qui corporali morbo laborant, ait Chrysost. ho. II. in Gen. quamvis sexcentis remedia afferat medicus, si valetudinarius medicinæ curam respuit, et medicus imponat pharmacum, inermis autem impatiens doloris illud rejiciat, nulla inde utilitate suscepta: ita nihil effecerit ecclesiasticus, nisi obtemperent auditores. » Sic ille.

CONCIO VIII.

MULTIPLEX LUCERNA A DEO ACCENSA NOSTRIS
HÆRETICIS.

I. Varia omnia futura in Ecclesia perturbationis. — II. Viri sancti et ordines erecti: 1. Societas Jesu. 2. Capuccini. 3. Theatini. 4. Viri sancti. 3. Conversio exterarum nationum. — III. Gravissimæ gravissimorum virorum censura in hæreticos: 1. Leonis X. papæ. 2. Academiæ. 3. Summorum principum. 4. Patriarchæ Constantinopolitani. 5. Concilii Tridentini. — IV. Confusio et divisio Lutheranismi. — V. Turpis vita et ignobilis mors hæresiarum. — VI. Victoriæ de iis obtentæ: 1. De rusticis. 2. De Helvetiis. 3. De Saxonibus.

THEMA.

Accendit lucernam et everrit domum, et quarit diligenter, donec inveniat eam. Luc. XV.

Quando aliquid perdimus in obscuro loco, quo illa facimus, quæ notavit Dominus in hodierno evangelio. Primo enim, accendimus lucernam, et quærimus diligenter. Quod si accenso lumine nondum invenimus, quod amissimus, scopas adhibemus et locum sedulo vetrimus. Nihil ergo mirandum, si hoc idem faciat Deus posteaquam animas suas perdidit. At quis nostrum est, qui nesciat hæreticos nostri temporis, quasi drachmas, e manu Christi lapsos in tenebras et sordes hæreseos decidisse, adeoque vere perditos esse? Hos igitur num dereliquit Christus? Non sane; sed imprimis lucernam illis accendit, eamque non unam sed multiplicem, ut facile, si vellent, possent deprehendere se a vera fide et regno Dei excidisse. Deinde, quia hac ratione nondum inventi sunt, adhibuit etiam scopas et cepit eos gladio compellere, ut redirent ad Ecclesiæ gremium. Quia vero felicem hanc necessitatem minime intelligere volunt, sed injuriam sibi fieri existimant, ostendemus hic jure eos scopis queri, qui ad accensum lumen inveniri noluerunt.

I. Lucerna prima sunt varia omnia futura in Ecclesia perturbationis, quibus utique Deus commonere voluit homines ut cavere sibi. Quemadmodum enim priusquam terra inclusos spiritus emittat, et quæ in dorso suo gerit, deglutendo dehiscat, solent audiri mugitus et tremor sentiri, aliaque instantis mali signa præcedere, ut quod aves circumvolitantes clamoribus et frequenti alarum concussu accolas ad fugam hortantur, atque ipsi etiam serpentes e cavernis prorrepentes ad tutiora loca se recipiunt: ita voluit Deus per varia prodigia commonere homines infelici illi sæculo decimo sexto, ut saluti suæ consulere. Imprimis enim nullo unquam sæculo tot tamque prodigiosæ eclipses visæ sunt atque illo, ita ut alicubi stellæ interdiu visæ sint. Ejusmodi horrenda solis eclipsis accidit anno 1518. quo Lutherus venenum suum evomere cepit, et propterea a Maximiliano imperatore ad comitia Augustana evocatus fuit: anno vero 1541. tres in cœlo soles visi, seu duo circuli lucidi juxta solem, quo anno Rastibonæ habita concertatio inter catholicos et Lutheranos: anno 1544. biennio ante Lutheri mortem, solis defectio totum diem 24. januarii tenuit, et sequentibus mensibus luna defecit, quod post Caroli M. ætatem nunquam accidisse memorant, Marianus apud Spondan. in auctar. ad Baron. Quis vero non existimet indicatum per hoc fuisse, defecturam in magna Europæ parte fidem et religionem? Principes item hæreticos, veluti pærelia, imperatori velut soli adversaturos et lumen majestatis adepturos? Rursum nova in cœlostella visa fuit anno 1572. mense novembri in Cassiopeiæ signo, et duravit ultra annum, paulatimque minui cepit, donec evanesceret. Designasse putavit aliquis Lutheranismum brevi extinguendum.

Anno 1529. circa initium octobris novum morbi genus, quod sudorem Anglicum dixerunt, in Germania invaluit, quo plurimi extincti: *Præ-nuntium*, inquit Genebrardus, *hæreticæ pestis, quæ populum Anglicum erat paulo post infectura.* Et quid si Augustanam confusionem (confessionem vocant alii) prænotarit, anno mox sequenti cusam et imperatori oblatam in comitiis Augustanis? Spondanus in auctar. Præcessit hunc morbum fames septennis acerbissima; secuta vero est pestis contagio.

Anno 1531. mare ruptis aggeribus exundavit in Belgium: unde in Zelandiâ multa oppida mersa, ubi templorum turres adhuc visuntur, Spondanus ibidem. Designatum per hoc, arbitrator, lumen hæreticam in Belgium quoque erupturam et plurimos ibi mersuram.

Anno 1542. in Germania tantâ locustarum vis fuit, ut cœli conspectum volatu auferrent. De-

signabant, ni fallor, hæreticos, uti ex Apoc. IX. intelligimus, omnia vastaturos. Sanguinis prodigiosus pluribus locis visus. Alibi enim sanguinis rivus e terra profluxit, ad Bockelheim Hildesie oppidum: alibi palus integra in cruorem versa non procul a Mersburgo: alibi aristæ sanguinem stillarunt: alibi cælum sanguine pluit, Florimund. Raymund. de orig. hæres. l. III. c. XII. Quid vero hæc nuntiabant, nisi sanguinis effusionem opera hæreticorum patranda in Germania.

Fœtus prodigiosus natus in Saxonia eo tempore, quo Lutherus primo, a papa excommunicatus fuit, monachi cucullo contexti specie, quem Saxonie Minotaurum appellarunt: quo sine dubio Lutherus excucullatus, fœdissimorum monstrorum parens, fuit portentus, Florimund. l. I. c. XIII.

II. Sunt viri sancti et religiosi ordines a fundamentis erecti, quos opposuit Deus novis hæresiarchis. Quemadmodum enim natura serpentes e cavernis suis ante prorepere non patitur, quam fraxinus ei inimicissima florere incipiat, ut contra venenatos morsus antidotum inde nobis parere queamus; nec prius ejusdem arboris florem decutit quam illi jam in latibula sua se absconderint: sic Deus nunquam sinit prodire ab inferis hæresin, quin eodem tempore insignem aliquem sanctum quasi plantam producat, cujus vitæ succo contra pestiferum ejus venenum præservare nos possimus. Talis fuit S. Ignatius Loiola soc. Jesu fundator, qui octo annis post Lutherum natus annis decem post eundem obiit, arbor fertilissima præsentissimorum remediolorum contra toxicum Lutheri; quam etiam sperandum est, non prius defecturam quam omnes hæreses extinctæ sint. Sane Philippus Melanchthon morti vicinus, audiens Jesuitas per universum orbem sese effundere et Ecclesiam instaurare, ductis ex intimo corde suspiriis exclamavit: *Ah, quid hoc esse dicam? Video sane totum mundum brevi Jesuitis repletum iri*, Florimundus, de orig. hæres. l. V. c. III. Quid nunc dicturus erat, ubi supra trecentos collegia eorundem numerantur?

Secundo, ordo patrum Capuccinorum, sub regula S. Francisci inchoatus circa annum 1525. qui pietate sua ac bonis operibus vitæque austeritate revocaret homines a spureitiis et Epicurea hæreticorum vita ac corruptis moribus, sicut societas Jesu a corruptis dogmatibus.

Tertio, ordo clericorum regularium, quos Theatinos vocant, institutus an. 1524. a papa Paulo IV.

Quarto, ad hoc accessere alii viri sancti circa id tempus Ecclesie donati, uti S. Philippus Neureus, S. Theresia, S. Carolus Borromæus, Pius

V. et alii, ut quo tempore pestis hæretica ex una parte vastabat Ecclesiam, eo alia ex parte priorum sanctitas eadem erigeret et illustraret.

Quinto, accessere ad Ecclesie Romanæ gremium exterae nationes, India, Japonia, America, Æthiopia, seu Abyssinorum regio. Et quo anno rusticorum bellum grassabatur in Germania, scilicet anno 1524. legatio a Davide Æthiopiæ imperatore et Helena ejus avia ad Clementem papam venit, obedientiam ab illis promittens sedi apostolicæ ac benedictionem postulans, Jovio et Genebr. auctoribus. Anno 1585. trium Japoniæ regum qui opera patrum societatis fidei Christi amplexi erant, legati Romam nissi ad obedientiam summo pontifici præstandam, in urbem venerunt, postquam triennio in itinere fuissent, Spond. Ibid.

III. Sunt gravissimæ censuræ gravissimorum et doctissimorum virorum, in hæreticos illos latae. Primo, Leonis X. papæ, qui anno 1520. Lutherum excommunicavit ejusque libros publice cremari jussit. Quo facto Lutherus ad desperationem redactus insanire in pontificem et exitium illi minari, bullam ejus unaque jus canonicum publice cremari jussit Wittembergæ addens: *Quoniam tu conturbasti sanctum Domini, ideo te conturbet ignis æternus*, Florimund. de orig. hæres. l. I. c. XI.

Secundo, plurium academiæ et universitatum, Coloniensis, Lovaniensis, et imprimis Sorbonæ Parisiensis: quorum sententia doctrina Lutherana, execrandis erroribus scatens, simplicis populi seductiva, omnibus doctoribus injuria, potestati Ecclesie et ordini hierarchico impie derogativa, atque in Spiritum sanctum blasphemata est judicata, ideoque ultricibus flammis committenda.

Tertio, maximorum principum. Maximiliani I. imperatoris qui anno 1518. in comitiis Augustanis diabolium humeris Lutheri insidentem vidit, ac prædixit in aurem baronis de Erpach, monachum illum ingentes in imperio turbas concitaturum, et calamitates invecturum, Tilm. Bredembach. in collat. Caroli V. imperatoris, qui in conventu Wormatiensi evocatum ad se e Saxonia Lutherum et pertinacem repertum, hæreticum declaravit et ut talem punire statuit, eumque proscripsit et capi deprehensum jussit, anno 1521. Florim. lib. I. c. XIII. et XIV. Henrici VIII. Anglorum regis, qui egregium librum edidit adversus ejus pestiferam doctrinam, eo tempore quo adhuc Ecclesie Romanæ obediens defensor fidei dictus est.

Quarto, patriarchæ Constantinopolitani, qui librum concordie ad se missum a Lutheranis, ut eum approbaret, reprobatum et confutatum triplici scripto, censuris appositis rogavitq

auctorem, ut ne posthac ejusmodi ineptis molestus sibi esse vellet, Florim. l. V. c. XI. Spondan. anno 1575.

Quinto, Concilii Tridentini, ad cujus decisiones omnia remissa fuerunt, imo Lutherus ipse a papa provocavit permissa interim libertate ab imperat. Spondan. anno 1520. Ibi judicio et sententia 255. patrum Lutheranismus condemnatus est. Cæterum Lutherus præsentens suam condemnationem, omnem movit lapidem ut Concilium impediret. Neque ullus Lutheranorum ei adesse visus, quamvis non tantum sub fide publica vocati, sed etiam obsides eis oblatis essent. Denique, vix incepto Concilio per mensem unum aut alterum, Lutherus vivere desiit, quasi solo Concilii initio territus et exanimatus. Sane morti jam vicinus circumstantes amicos his verbis monuisse scribitur a justo Jona ejus discipulo: *Orate pro Deo nostro, ut ei cum Ecclesie sue causa bene succedat: quia ei pontifex et Concilium Tridentinum vehementer adversantur*, Florim. l. III. c. XI.

IV. Confusio et divisio Lutheranismi in plurimas alias hæreses, quarum tres præcipui rami Anabaptistarum, Sacramentariorum, Confessionistarum, plurimos alios sureculos seu stolones producunt. Quod suo jam tempore videns Lutherus, ita fuit attonitus, ut facti pœnitere et remedium quærere velle videretur. Sed facile intelligebat, operam se perditurum. Dicebat enim: *Quid hoc esse dicam? Vix unum os diaboli objuro, et ecce decem ille alia aperit. Ipsa ejus quasi manus dextra et sinistra Melanchthon et Carlstadius ab ipso defecerunt; imo Lutherus Carlstadium sibi adversantem aureo nummo quasi conduxit et provocavit ad duellum fidei, ne alter alteri parceret; quin et ipse Lutherus a seipso longissime discessit, Protheo mutabilior. Facetum est quod narrat Staphylus, apud Florim. l. V. c. VIII. «Quemdam Melanchthonis discipulum omnes sectarum portas pulsasse, et apud omnium religionum, quæ in septentrionalibus vigent regionibus, socios ministerii munus quæsisse, sed post editam fidei confessionem æque ab omnibus repudiatum. Nam e Saxonia ab Illyrico, e Prussia ab Osiandro ejectum; in Polonia ab Antitrinariis et deistis, aliisque novis Evangelicis, quorum sectæ prævalebant, locum ei denegatum; in Bohemia ab Hussitis et Picardis; in Silesia a Schwenckfeldianis; in Moravia ab Anabaptistis suas sibi res habere jussum. Post longam discursionem, miserum hominem qui nullis aliis armis quam S. Scripturæ textibus et Lutheri ac Melanchthonis auctoritate suam religionem defenderet; nec tamen qui pro christiana et evangelica agnoscere eam vellent reperiret; tandem Viennam delatum, et tam de aliis*

suis miseris quam de longa et laboriosa peregrinatione apud viros quosdam eruditos catholicos conquestum, se nimirum omnes fere regiones obiisse; ut gentem aliquam seu nationem inveniret, quæ in omnibus Lutheri et Melanchthonis doctrinam sequeretur; sed unum tantum prædicantem autem reperiisse, qui suggestum conscendendi, et eandem veritatem secum prædicandi potestatem ipsi facere voluerit. Idem deinde melius instructus refecta hæresi ad catholicam Ecclesiam fuit reversus.»

Quemadmodum ergo structores turris Babel inter se confusi sunt, ut se mutuo non intelligerent, ideoque a cæpto desistere cogentur; ita evenit Lutheranis.

V. Turpis vita et ignobilis mors hæresiarcharum, quæ utique magnum lumen accenderunt omnibus cernere volentibus; siquidem ex fructibus suis arborem cognoscimus. Quis autem nescit, quam votifragus fuerit Lutherus? Quantus jejuniorum osor? Quantus hostis et irrisor principum? Quam familiaris dæmoni? Quam scurrilis in sermone? Quam inflatus contra summum pontificem, Concilia, ss. patres et doctores omnes? Quis nescit Calvinii stigma, fraudes, arrogantiam? Quis Carlstadii et Melanchthonis stultitiam, qui stadiis abdicatis, servilibus operibus operam dare cœperunt; ille agriculturæ, hic pistoriæ arti? Quis incestas nuptias Lutheri, Carlstadii, aliorumque?

Sed forsitan præclaro fine vitam suam clauserunt? Non sane aliter, quam sicuti vixerunt. Lutherus postquam bene cœnasset, et facietis de more indulsisset, in lecto cum paululum quievisset, repentinis doloribus priusquam advenissent medici extinctus est, sive a seipso, sive a dæmone strangulatus, ut multi volunt.

Carlstadius postquam magnæ staturæ vir, quem viderat sub concione sua consuli assidentem, quique ejus domum ingressus filium in sublime rapuerat, sed sine noxa deposuerat, ei locutus fuerit his verbis: *Patri suo multam salutem diceret, quem intra triduum esset visurus, post triduum vitam clausit*, Florimund. l. II. c. VII.

Œcolampadium noctu a diabolo in lecto strangulatum, ait Lutherus, id. l. II. c. VIII. alii aliter. Illud fertur paulo ante mortem dixisse: *Ego totus incertus in fide et fluctuans ab eo, coram Dei tribunale rationem redditurus atque experturus utrum vera an falsa fuerit*, ibid.

Melanchthon et ipse in morte perplexus matri sibi adstanti et perconctanti: *Utrum in fide catholica, quam a cunabulis hauserat; an vero in ea, quam in ipso didicerat, persistere deberet, respondisse fertur: Hæc plausibilior, illa securior*, Florimund. lib. II. cap. IX.

Zwinglius cum suos Tigurinos in aciem edu-

xisset contra catholicos, in acie mox occubuit. Prostratus cum rogaretur an sacerdotem confessorum vellet, nihil respondit, sed terram leonis instar momordit sicque hasta transfixus est, Florim. I. III. c. IV.

Calvinum pediculari morbo extinctum esse blasphemantem, nemini pene ignotum est.

VI. Victoriæ catholicis contra hæreticos concessæ, veluti primo, cum rebelles rustici ex Lutheri doctrina ad arma vocati ad interneccionem cæsi sunt plusquam centies milleni a Germanica nobilitate: quorum dux Munzerus captus et capite punitus, Spondan. in auctar. anno 1525.

Secundo, cum quinque pagi catholici Helvetiorum, numero et apparatu bellico inferiores, Tigurinos eorumque socios insigni prælio vicerunt, anno 1531. 11. octobr. quo inter primos occubuit ipse Zwinglius auctor divisionis, Spond. anno 1531.

Tertio, cum Carolus V. imperator exercitum Protestantium, licet loco et militum numero superiorem, prope Ingolstandium deserere, et se ad sua recipere coegit, posteaque ipsum exercitus ducem Saxonem cepit, reliquos imperij principes sibi adversatos in deditioem accepit, et plerasque civitates imperiales in gratiam recepit, adeoque hostes suos omnes sibi subiecit, ut veniam precari et gratiam Cæsaris implorare supplices debuerint, Florim. I. III. c. XIV. et XV. Dissipavit ibi Deus consilium Landgravii Hassiæ, qui suaserat imperatoris castra aggredienda, cum adhuc immunita essent et infirma. Quare qui olim dissipavit consilium Achitophel contra David, dissipavit etiam hoc Landgravii contra Cæsarem, qui sane hoc ad extrema redactus fuisset.

Quibus accedunt nuperæ victoriæ ab invictissimo nostro imperatore Ferdinando II. de hæreticis reportatæ: de Friderico Palatino, marchione Badensi, duce Brunswicensi, Mansfeldio, Dano, etc. omnes ab anno 1520. usque ad 1628. obtentæ.

His omnibus attente consideratis, quis non videt Deum paterna sua providentia maximam lucernam accendisse nostri temporis hæreticis, ita ut palpare nedum videre queant, se ab ovili Christi longe aberrasse, adeoque perditos esse et in tenebris latere: Quia vero hoc ipsum nedum videre volunt, et ad tantum lumen nondum prodire, quid mirum si tandem incipiat Deus adhibere scopas et everrere domum suam? Sane hoc jam cepit magno fructu cum per imperatorem nostrum jam olim expurgavit ab hæresi, Styriam, Carinthiam, et Carniolam: et nuper expurgare cepit Austriam utramque, Bohemiam, item Moraviam et Silesiam; faxit idem Deus opt. max. uti imperium Romanum et Ger-

maniam totam ad ovile Christi reductam videamus!

CONCIO IX.

DOCUMENTA EX EVANGELIO.

I. Nullus status, quem malitia hominum non pervertere possit, exemplo Publicanorum. II. Sedulo audiendum Dei verbum. — III. Vide perversum mundi ingenium. — IV. Fuge detractionem. — V. Quousque et quibus conversari cum peccatoribus liceat. — VI. Non omittenda bona opera propter aliorum obtræctionem. — VII. Vide Dei benignitatem. — VIII. Vide quantum sit unius animæ pretium.

THEMA.

Erant appropinquantes Jesu Publicani et peccatores, ut audirent illum. Luc. XV.

Sæpius aspiciamus in solemnibus missæ officio, quanta reverentia tractetur liber evangeliorum. Nam flexis genibus accipit eum diaconus de manu celebrantis et benedictionem ab eo petit, offerentisque manum osculatur. Tum cantans evangelium signat eum cruce, incensat thure, et quoties nominat Jesum, caput ei inclinatur, denique subdiaconus eundem defert ad celebrantem, qui evangelium osculatur. Omnia hæc sunt sacrosancto evangeliorum libro, quia Christum ipsum repræsentat non minus ac si Christum per eum loqui audiremus. Sed quorsum hæc, auditores? Ut intelligatis qua reverentia, quo fervore audiendum sit Dei verbum. Nam in hodierno evangelio peccatores et Publicani ad Jesum appropinquabant, ut audirent illum. Et vos etiam dicitis: Si nunc audiremus loquentem Jesum, vellemus utique ei simili fervore, simili reverentia, simili attentione appropinquare. Quare nunc sciatis, Christum vos audire, cum auditis evangelium. Ergo animum advertite, etc.

I. Disce nullum esse vel statum quantumvis honorabilem, qui malitia hominum non reddatur vilis, contemptus et infamis. Ecce enim Publicanorum munus olim erat honoratissimum, teste M. Tullio, qui in oratione pro Plancio ait: *Flos equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reip. Publicanorum ordine continetur.* Et tamen hic ordo per avaritiam et rapacitatem officialium adeo vilis et infamis est factus, ut apud Judæos pro publicis peccatoribus haberentur omnibus exosi. Unde Judæi peccatoribus semper junxerunt Publicanos; et Dominus ipse dixit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et Publicanus.* Sic etiam prælati, monachi, aut clerici mali, suo prælo exemplo infamant statum suum, dignissimum alioquin.

Unde vulgus per contemptum eos vocare cepit nomine olim honorifico nunc autem vili: sic uxores militum meretrices, quia raro maritis fideles. Quis status christianismo dignior; hic tamen ob malos christianorum mores spernitur ab ethnicis, Judæis. Nam ut ait S. Chrysost. hom. X. oper. imperi. «Videntes mala opera christianorum infideles, blasphemantes dicunt: Qualis est Deus christianorum? Nunquam sustineret eos, qui talia agunt, nisi consentiret malis actibus eorum.» Unde et apost. ad Rom. II. ait: *Nomen Dei blasphematur per vos inter gentes:* et Nehemias, cap. V. ait ad suos: *Quare non in timore Dei ambulatis, ne exprobetur vobis a gentibus inimicis nostris?* Vieissim qui bene in officio vel statu suo vivunt, maximam illi dignitatem conciliant. Quocirca curet quisque ita vivere in statu suo, ut ne ignominiam illi et fetorem aspergat, uti graviter hortatur apost. II. Cor. VI. *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.*

II. Disce sedulo audire Dei verbum, et tanto magis, quanto magis indiges. Etenim Publicani et peccatores Christo appropinquabant ut audirent illum. In Græco legitur: *Erant autem appropinquantes ei omnes Publicani et peccatores:* Nimirum quia omnes ægros se videbant, ideo medicum omnes quærebant. Horum ergo exemplo christiani omnes verbum Dei sedulo audire debent; quia nemo est qui eo non indigeat. Ut enim nihil aliud præstet concio, saltem commoveat peccatores, ne in peccatis coagulentur et obsordescant: quomodo sanguis porcorum mactatorum recens commoveri debet, ne mox coagulum fiat. Hinc apostoli et concionatores salterè nuncupantur, quia uti caro sine sale cito putrescit ac foetet, ita hominum animi ad interitum proni. Quod si aliqui existimant se non egere verbo Dei, ii periculosius laborant, dum medicinam respuunt, uti etiam ii qui se ægros agnoscere nolunt, quales sunt multi.

Similiter periculosius laborant peccatores occulti, quam publici. Nam peccatores publici seu Publicani: *Appropinquabant Christo, ut audirent illum,* sed non ita Pharisæi et Scribæ; qui vel audire contempserunt, vel appropinquarunt tantum ut materiam accusandi et carpendi captarent. Unde illi plerumque emendati sunt, hi nunquam imo sæpe deteriores facti. S. August. in tract. de conflictu vitior. ait peccatum publicum, tametsi gravius est quam occultum, facilius tamen curari. Occultum enim peccatorem nemo admonet, nemo reprehendit aut castigat; pudet etiam confiteri peccata sua occulta. Publicus vero undique reprehenditur et punitur: nec difficile confitetur, quod jam passim scitur. Unde misericors Deus sinit aliquando publice

confundi eos, qui clam reati erant, ut facilius emendentur. Quam multi in carceribus emendantur, et in ultimis supplicio capite moriuntur, qui, si latuissent, nunquam pœnitissent: sic manifestavit peccatum Davidis per exprobrationem Nathan: ex quo ille confusus pœnituit; quod alioquin forte nunquam fecisset.

III. Disce perversum mundi ingenium: vituperat enim ea quæ maxime laude digna sunt, ut Christum, quod peccatores recipiat ad veniam. Quid enim magis peccatoribus necessarium, quam recipi ad gratiam a Deo? Et quid magis Deo honorificum, quam recipere peccatores? Itaque solem vituperant quod radios suos ad nos transmittat; medicum quod ægrorum curam susecipiat; pastorem, quod ovem suam perditam requirat. Ita etiam mundus superbiam vestium vocat honestatem; avaritiam providentiam; libidinem et amorem fœdum familiaritatem vel amicitiam; iram strenuitatem; ebrietatem hilaritatem, etc. vituperat vero vestium humilitatem, vietus parcitatem, frequentem confessionem et communionem, fugam mundanæ pompæ. *Tales sunt,* ait B. Maximus, serm. de malis, *adulatores, qui scurras vocant gratiosum; obscena loquentem, civilem; iracundum, strenuum; parvum, providum; prodigum liberalem.* Sic cum liberi sciunt fallere, mentiri, jurare, irridere, dicunt parentes eos esse argutos, ingeniosos. Quibus omnibus Isa. c. V. dicit: *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.* Nimirum pater mendacii diabolus hoc persuadet mundo, et quasi in pharmacopolio hujus mundi titulos pharmacorum, oleorum, aquarum, saporum, unguentorum, etc. pervertit, et pyxidi fellis inscribit nomen mellis; vasculo acetario nomen sirupi; toxico nomen sacchari, etc. inde fit, ut homines misere decipiantur, amarum pro dulci, venenum pro theriaca, noxium pro salubri arripiant, et seipsos perimant. Unde Greg. hom. VII. super Psal. C. «In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ait; hostis noster tanta se arte palliat, ut culpas nostras virtutes fingat; ut inde quisque expectet præmia, unde dignus est æterna subire tormenta. Plerumque enim in ulciscendis vitiis cradelitas agitur, et justitia putatur, atque immoderati justii zeli in meritum creditur, similiter effusio misericordia, tenacitas parcitas, pertinacia constantia reuatur.» Sic ille: *nonne deus sinit aliquando publice*

IV. Disce fugere detractionis vitium. Quis enim non adversatur clancularios illius insidiatores Pharisæos et Scribas, qui dum Christus salutem peccatorum quaerit, quaerunt ipsi quomodo ejus famam denigrent: bona eius opera